

Petrus de Vinea

*Ep. III 14 (Quantumcumque  
sibi litigiosa Liguria...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 14 (Quantumcumque  
sibi litigiosa Liguria...)*

1248

Rationalibus suis, super scolis ratiocinii, in diuersis mundi partibus diuidendis.

1. Quantumcumque sibi litigiosa Liguria, nostri pars utique laboriosa dominii, presentiam nostram uindicet et exhauriat curas nostras, inest tamen nobis cura precipua de Regni, seu uerius domus nostrae, quantalibet utilitate tractanda, ne, dum procellas Imperii laboriose componimus, aliquid negligenter omittere circa domestica uideamur. 2. Nuper itaque non minus utili quam necessaria deliberatione prouidimus, quod residentia nostra, licet sit Baroli discreta per scolas, nostris tamen est dispendiosa profectibus et interdum uenientibus a remotis ratiocinia posituris est officialibus sumptuosa, sicque propterea ne fiscalibus obuiet utilitatibus et priuatis, scolas ipsas pro concurrentium utilitate localiter recte prouidimus dirimendas, utque cuiuslibet uestrum officium infra decretorum sibi fines iustitiaratum limitetur. 3. Quocirca uestrae fidelitati precipimus, quatenus, receptis presentibus nostrae serenitatis apicibus, uos, notarie... et magister..., scolam ratiocinii nostri Monopoli statuatis, moraturi ibidem, et officialium iustitiaratus Terrae Barensis et Terrae Ydronti ratiocinia recepturi. 4. Tu iudex..., scolam Melfiae decretis tibi similiter Capitanatae et Basilicatae iustitiaratibus studeas ordinare. 5. Tu quoque, iudex Petre, scolam tuam Caiacciae deputes et officium tuum in iustitiaratibus Aprutii, Terrae Laboris et Principatus, tam sollicite quam fideliter exequaris nostrum singulis decretum cuiuscumque roboratum signo notarii habituris. 6. Cumque multa sit salus, ubi multa sunt consilia, uolumus et mandamus, quatenus uobiscum ad inuicem super dubiis conferatis, quod de

quacumque re magis expediens et salubre uideritis, communi consilio discussuri; mandata quoque generalia, quae communiter hactenus recepistis, ut particularis ex eis et integra uobis habilitas offeratur, autenticari per manum publicam faciatis, autenticatis taliter autenticorum robur, penes quoscumque remanserint, habituris, quod, si notariorum eorum singularitatem insufficientem fore uidebitis, adiectione nouorum, eorum insufficientiam utiliter suppleatis. 7. Vos preterea, notarie... et iudex..., oculos apertos specialiter habere precipimus super pelago ratiocinii Thomae de Brundusio et siclariorum Apuliae, ut per incuriam uestram in eos nostra curia non fraudetur.